

ritate, Statibus et Ordinibus Justitiae complementum administrari clementissime obtulisset; Quapropter ex parte hujus Regni, renovatis Articulis 23. An. 1681. et Art. 15. An. 1687. eum in finem Commissarii denominantur.

§. 5. Circa Styriam ex parte Croatiae et Carnioliam: Excellentissimus ac Illustrissimus Dominus Episcopus Zagrabiensis, Comes Emericus Eszterhazy; vel eo impedito; Episcopus Bosnensis Georgius Patachich; Comes Petrus Keglevich; Item Regnorum Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae Magister Protonotarius; Praeterea unus ex Vice-Comitibus Comitatus Zagrabiensis.

De Metarum inter Comitatum Simegiensem et Baraniensem, nec non Regnum Sclavoniae Controversarum; Revisione et Decisione.

Articulus 40.

Circa Differentias et Controversias, quae Occasione Metarum per defluentiam Dravi, inter Comitatum Simegiensem et Baraniensem, nec non Sclavoniam; item quae inter Bihariensem et Bekesiensem, praeterea Tolnensem et vicinos alios quoscumque Comitatus; non secus et illas, quae inter Dominium Murany et Lypto-Ujvar exortae essent et haberentur, statuum est:

§. 1. Ut Dominus Regni Palatinus, auditis Partibus et ubi interessatus esset, etiam Fisco Regio, observatisque Literarum Collationalium Conditionibus, easdem similitudine Articulorum 19. et 20. Anni 1635. hic loci renovatorum revideat et secundum Justitiam finaliter decidat.

De Dominio Csaktornya et Bonis Zriniano- et Frangepaniano-Fiscalibus, per Graecensem, seu Styriacam Cameram Possessis.

Articulus 44.

Cum Sua Majestas Sacratissima benigne declarasset, Dominium Csaktornya, cum reliquis Zriniano- et Frangepaniano-Fiscalibus Bonis per Cameram Graecensem, non qua Communitatem, sed pro Duce Styriae Privatorum Jure possideri; Hinc statuitur: Quod hujusmodi Bona, seu eorum Possessores, ac Officiales (sicut in aliis Fiscalibus Bonis) Legibus, Oneribus et Jurisdictioni Regni subesse debeant. *)

Commissarii denominantur ad Revisionem Terreni, inter Vunnam et Colapim habiti; et Octo floreni Domino Episcopo Szegniensi, menstruatim solvendi determinantur.

Articulus 61.

Ad avertendas Confusiones, colendamque inter Regnicolas et militiam Confinia-

*) Declaratur et urgetur; An. 1723. a. 94. Item, confirmatur; An. 1741. a. 42.